



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

§. 72. Liviani obitus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

rum oblivio concederetur, & Morono prædia, quæ a liberali Sfortiæ manu accepisset, integra manerent, ac præter libellorum supplicum Præfecturam eidem annua pensio concederetur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1515.

§. LXXI.

Sfortia pingui pensione promissa in Franciam delatus.

Deditionis legibus integra fide effectui datis, Sfortia se Helvetiorum servitute, Caesaris dilaceratione, & Hispanorum fraudibus liberatum inquiens, in Galliam contendit, sed ob fordidissimos mores omnium ludibrio expositus vivebat.

Spond. ad
ann. 1515. n. 8

§. LXXII.

Liviani obitus.

Dum hæc gerebantur, Livianus hoc ultimo virtutis opere edito, rebus humanis valedixit, in quodam ignobili Brixiae oppido defunctus, dum Brixiam ac Veronam recuperare parabat. Eo morte sublato Veneti exercitus imperium Theodoro Trivulcio deferebant, datumque ei negotium, ut Belliducis cadaver Venetias transferri curaret: Cum vero milites Veneti a Germanis, qui Veronensem tractum tenebant, securitatis literas acceptare obfirmato animo recusarent, toto expeditionis tempore Liviani

G 4

corpus

Sæc XVI.
A.C. 1515.

corpus secum in castris habebant, tandem vero Athesin remigantes illud per Veronensem ditionem obliquato itinere, atque explicatis vexillis deportabant. Senatus Belliducis sui cadaver summis honoribus excepit, ac magnificis exequiis eidem parentavit. His perfolutis Respublica missis ad Franciscum Regem Oratoribus victoriam Regiis armis, auspiciisque relatam gratulata est, idque obsequii genus Rex haud vulgari amicitiae testificatione acceptans, Venetis præter septingentos Cataphractes septem peditum millia transmisit, ut his suppetiis aucti, quæ sibi exopta crederent, recuperare possent: Interea vero Theodorus Trivultius Piscariam, & Asolam armis suis subiecit, Marchio autem Mantuanus Lunetum, quod sub primis auspiciis Cameracensis Fœderis occupaverat, Venetis ultro cedebat: Brixiam quoque non expectato Gallorum auxilio obsidere parabant Veneti: ast amissis omnibus tormentis, totoque belli apparatu obsidionem solvere compellebantur, quam Gallis ductore Lautreco in auxilium venientibus, redintegrare tentabant, verum ubi octo Germanorum peditum millia ex Germania advenerant, denuo repulsi sunt; Brixia autem, & Verona a novis hisce Germanorum copiis, milite ac comœatu instructæ fuerunt.

§. LXXIII.